



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Ivstitia Et, Ivs. Sex Libris totidem Tractatus appono, nempe de rerum
Dominio, de Restitutione, de Contractibus Gratuitis, de Contractibus
Onerosis, de Contractibus Fortunæ, de Contractibus Adminicularis, de
Quasi-Contractibus, & nonnullis Innominatis

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663**

Caput 9. Circa eos, qui à Præcepto Confessionis annuæ seruando
excusantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80681](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80681)

Bonacina, Valent. Nugn. Henriq. quos affert, ac sequitur Leand. p. 17. s. d. 3. q. 5. 4. Certè in ea sententia, qua Confessionem validam, sed in formam admittit, certum existimo, hoc præceptum impleri quoad substantiam, quia tunc penitens actum validum facit, Ecclesia vero solum imperat validam Confessionem. Et quia sa pius euenire potest, vt Confessio sit valida, sed informis absque vilo penitentis piaculo. Cur ergo tunc præceptum annuæ Confessionis non inplebitur? Fagund. Sic.

DVBIVM XXIV.

Agit quis integram peccatorum Confessionem sine formatum, siue non, sed absolutionem non recipi: satisfaciunt Confessione annua præcepto?

105 Satisfacit quidem. Quia præceptum Confessionis non est impositum, nec imponi potest de actione qua in penitentis potestate non sit, sed Confessionis solum, vt est absolutio. Sic Azor. l. 7. c. 19. q. 4. loquutus de penitente, qui dignè fuit confessus, sed Confessarij malitia absolutionem non accepit. Indou. de San Juan, apud Leandrum citandum. Victor. q. 16. loquutus de illo, qui omnia sua crimina confiteatur, sed dolore vero non afficitur. Et alij citati à Suario ro. 4. d. 36. sect. 7. ni.

106 Non satisfaciunt. Quia nullatenus penitentia recipit ille Sacramentum. Ergo præcepto huic non satisfaciunt imperanti vt Sacramentum recipiamus. Ita Durand. in 4. dist. 17. quæst. 14. Sotus dist. 18. q. 3. a. 5. Nauar. sum. c. 10. n. 4. Suar. 10. 4. d. 15. sect. 4. citans P. Soto, Michaëlem, ac Barthol. de Medina, Vinaldum, & alios. Lugo. de pen. d. 15. m. 136. Fagund. prac. 2. l. 1. c. 4. m. 13. Reginal. l. 6. m. 58. & alij.

107 Existimo, non satisfieri Ecclesie præcepto per quamcumque confessionem, absolutione non sequatà. Quia Ecclesia præcipit non aliquid nouum, sed id, quod ex Christi Domini præcepto debitum erat. Christus verò non præcepit Confessionem vt cũque, sed Confessionem, quæ per Iudicis sententiam terminaretur. Ergo hoc ipsù Ecclesia præcipit, singulis annis fieri non enim fuere duo Christi præcepta, vnum Confessionis agendæ, alterum recipiendæ absolutionis; sed vnum vtriusque, scilicet; hoc Sacramentum recipiendi. Ergo cum Ecclesia illud Christi præceptum voluerit annis singulis obseruari, præcepit totius Sacramenti receptionem.

DVBIVM XXV.

An excusetur à Præcepti huius impletione, qui nequit aliter quam per scripturam confiteri?

108 **E**RTVM est excusari eum, qui copiam Confessarij non habet, siue physice, siue moraliter; quapropter non solum physica, & absoluta impotentia, verum etiam moralis, vt est difficultas extraordinaria eundi ad confessarium, aut quando quis nequit sine graui detrimento fame, vitæ, &c. confiteri, verè ab impletione præcepti excusabit. Quæstionem verò an sic reputanda impotentia, cum quis nequit aliter quam per scripturam confiteri eo quod ipse sit mutus, & confessarius lurdus, & non possit verbis explicare peccata?

Excusatur quidem. Quia scriptura est publicum instrumentum, vnde qui piacula scribit se periculo exponit, scriptum auertendi, quod poterit graui incommodo ad alterius manus peruenire. Sic Filliuc. tr. 7. num. 53. Llamas p. 2. Meho. c. 3. §. 2. Victoria 2. 173. V. g. p. 1. summo. c. 63. casu 16. Tolet. l. 3. c. 6. Richard. in 4. dist. 17. a. 1. q. 5. Nauar. sum. cap. 1. m. 36. Arnul. v. Confessio. ni. 25. Angel. m. 32. Valent. tom. 4. d. 7. q. 11. p. 1. Henriq. l. 4. c. 4. n. 4.

Non excusatur, sed tenetur per scriptum confiteri, si Sacerdos præsens adsit. Quia commode aut certè sine difficultate magna potest sic præceptum seruari. Ergo tenetur. Ita Syluest. v. Confessio 3. quæst. 5. Caiet. b. d. condit. 11. Petr. de Soto de Confess. lect. 11. Palud. in 4. dist. 17. q. 2. Nugn. in addit. ad q. 6. a. 6. d. s. 1. Capus relect. de penit. Suar. ro. 4. d. 36. sect. 6. Valq. q. 90. a. 4. dub. 5. Coninch. d. 5. dub. 10. n. 78. Hurtad. d. 8. dist. 4. Granad. tr. 1. de penit. d. 9. art. 4. Bonnac. d. 5. q. 5. sect. 3. p. 1. m. 58. citans Pefantium & alios.

Existimo per scriptum non expedire communiter præsentis Sacerdoti fateri, nam periculum adest, vt amissa, ac sublata papyri legi possit ab alijs. At si caute absque periculo fiat, vt fieri planè potest, tenetur quis sic confiteri ad annuæ Confessionis implendum præceptum. An non facile potest qui eger scripto, modum scribendi mutare, vel literas, vel separatim ostendere peccatorum species in libro impresso, & in alia papyro numerum peccatorum, ne alijs valeat innotescere? Mutus igitur, qui nouit scribere debet sub ea, aut simili cautela (si necessaria sit ad secretum) vt præceptum ad impleat, confiteri. Suar. mecum.

DVBIVM XXVI.

Ad satisfaciendum præcepto Confessionis Ecclesiastico, tenetur quis si aliter non valeat per interpretem fateri?

112 **T**enetur quidem. Quia non apparet notabile detrimentum sequi ex confessione per quidem. E 2 inter

CAPVT IX.

Circa eos, qui à Præcepto Confessionis annua seruando excusantur.

Escob. & Mend. Theol. Moral. Tom. VI. P. II.

SCOBAR
eos Mor.
V. V. V. II.
E. IV

interpretem fidelem, ac prudentē, cui non minus quam Confessario ipsi pœnitēs fidere valeat. Siquidē interpret etiam obligatus secreto permanet: unde totū detrimentū est, vt peccata, quæ alias deberent esse nota vni, duobus manifestentur. Hoc autē non est tāti ponderis vt ab huiusmodi obligatione excuset. An nō sæpe qui casū referuatū habet, potest in casibus sibi permisis absolui directē ab inferiori, cū onere tamen comparandi postea corā superiore. Hic, inquā, non potest confiteri suum peccatū inferiori hic & nunc, quin cogatur illud duobus manifestare. Sic videtur sentire D. Tho. in ad. it. ad q. 9. a. 3. ad 2.

113
Minime tenetur.

Minimē tenetur. Quia Ecclesiasticū præceptū cū tāto onere nō obligat: manifestari enim graue delictū meū duobus, grauissimū quidem onus est. Ita Nauar. *sum. 1. 11. n. 36.* Caiet. *v. Confessio condit. ii. Valent. to. 4. d. 7. qu. 1. p. n. i.* Diana *p. 3. tr. 4. resol. 1. 29. citans Fagundium, Luisium, Turrianum, Gasparem Hurtado, Ioannem de la Cruz, Laymanum, Villalobos, ac Filiucium. Suar. to. 4. d. 36. sect. 6. nu. 4.* Becan. *de pœnit. c. 17. q. 5.* Lugo *de pœnit. d. 15. n. 75.* Bassē. *v. Confessio 2. n. 2.* & alij communiter.

114
Auctoris sententia.

Certum mihi, ad satisfaciendum præcepto Confessionis annuæ non obligari pœnitentē, vt per interpretē confiteatur. Quia obligatio hæc solū est ex Christi Domini præcepto pro vt à Christo latū est, nō pro vt ab Ecclesia habet determinationē ad tēpus. Scio hanc resolutionē esse cōtra P. Vaquez *d. 9. dub. 3. num. 9.* docentem, si talis obligatio esset ex præcepto Christi: nō minus fore ad Confessionē annuā, quā ad confessionem ex Christi præcepto in mortis articulo, de quo *Vol. 2.* Nam præceptum Confessionis annuæ non est humanum tantum, sed modificans ius diuinum: Ergo si ius diuinum obligaret, etiam & ius positiuū, quo illud modificatur. Cæterum Crediderim, non aduertisse P. Vaquez ad verba, quibus Ecclesia illam obligationē imposuit, scilicet vt pœnitens deberet *singulis annis solus* proprio Sacerdoti cōfiteri. Non potuit ergo Ecclesia velle, quod ius diuinum obligaret, quando pœnitens non potest *solus* confiteri, sed coram alio, cum expressē exclusit ad tali obligatione, vel modificatione casum illum.

CAPVT X.

Circa Pœnas transgressoribus huius Præcepti impositas.

QVÆSTIO INCIDENS.

Nūm de iure communi sit pœna imposita præcepti annuæ confessionis transgressoribus?

115
Non est imposita.

IMPOSITAM non esse videtur. Quia Ecclesia non potest huiusmodi piaculum punire: pœna pertinet ad forum externum: at delictum est ita occultum

vt in foro externo probari non possit. Sic Durand. in 4. dist. 17. question. 17. alias 14.

Imposita est. Quia Ecclesia potest, imò de facto impoluit: arcetur enim transgressores huius præcepti ab Ecclesia, & Ecclesiastica sepultura priuantur. *cap. Omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remis.* Vtrumque autem requirit prius sententiam à Iudice ferendam, vt patet ex verbis ipsius textus: *Arcentur ab Ecclesia priuentur Ecclesiastica, sepultura.* Idē dixit Cano in *rele. de pœnit. parte. 5.* has pœnas incurri non posse, nisi quando transgressio præcepti est manifesta, tunc enim probari potest in iudicio crimen, vt hæc pœnæ imponantur. Ita Suar. *to. 4. d. 36. sect. 8.* Granad. *de pœnit. d. 9. num. 3.* Hortad. *de pœnit. d. 7. diff. 9.* Bonac. *de pœnit. d. 5. sect. 5. quas. 2. punct. 4. num. 1.* & alij communiter.

Certum mihi, erroneē Durandum primam sententiam defendisse; dubium enim non est posse Ecclesiam ad eiusmodi pœnas imponendas iustissimam habere potestatem; nam vt illas iustissimē imponat, satis est, quod peccatum sit externum, licet per accidens sit occultum, ac probari non valeat. Porro in iure communi huius præcepti transgressoribus excommunicatio non imponitur: vnde recognoscendum erit, an in iure particulari, hoc est in constitutionibus alicuius Diocesis imponatur.

DVBIVM XXVII.

An qui culpa sua inualidē confitetur annuæ Confessionis instanti, euadat pœnas à iure, aut à Synodo impositas?

QUI confitetur inualidē eo quod voluntariē aliquod lethale crimen subtracet, vel caret necessario dolore, vel correctionis non fouet propositum, pœnas euadit. Quia præceptum implet; Ecclesia enim præcipit Confessionem, non absolutionem vnde absolutio videtur finis, non materia huius præcepti. Ergo licet aliquis ita confiteatur vt culpa sua inualida sit Confessio, & ideo absolutionem non recipiat implet præceptum, & pœnas transgressoribus impositas euadit. Sic Syluest. *verb. Confessio 4. num. 2.* Sà *ibi. numer. 1.* Victor. *summ. num. 163.* Alent. *4. p. 9. 77. memb. 5. artic. 7.* Gabri. in 4. dist. 17. question. 7. Cano in *rele. de pœnit. parte. 5. Ledel. quas. 8. a. 2.*

Non euadit pœnas. Quia præceptum minimē implet. Nec Christus enim nec Ecclesia Confessionem præcipit nisi propter omnium peccatorum absolutionem, in qua præcipiendū pœnitentiæ sicut Sacramentum: At qui sua culpa integrē non confitetur, aut non afficitur dolore, vel nō fouet correctionis propositum, Sacramentalis absolutionis indignus exponitur. Ergo præcepto non satisfacit, vnde pœnis à iure, & à Synodo impositis manet obnoxius. Ita Vinald. in *Candelab. vbi de confess. numero 51.* Nauar. *sum.*